

**THEOPHANIS**  
**CHRONOGRAPHIA.**

EX RECENSIONE

**IOANNIS CLASSENI.**

VOLUMEN II.

PRÆCEDIT

**ANASTASII BIBLIOTHECARIJ HISTORIA**  
**ECCLESIASTICA**

EX RECENSIONE

**IMMANUELIS BEKKERI.**

---

**BONNAE**

**IMPENSIS ED. WEBERI**

**MDCCCXLI.**

gerunt iidem legati, cum curiose quaesiissent, mansionarium \*) S. Iohannis magnae Alexandriae, virum venerabilem et virginem, nomine Iohannem, qui sexaginta duorum erat annorum. quo suscepto abierunt in propriam regionem ad regem suum, et ita crediderunt Christo, et illuminati sunt.

Mundi anno 6036, divinae incarnationis anno 536, imperante Iustiniano anno decimoseptimo factus est terrae motus magnus in universo mundo. eodemque anno apparuit quidam ex regione Itolorum per villas discurrens, nomine Andreas, habens secum canem rufum et caecum, qui iussus ab eo faciebat miracula. cum enim staret ipse in foro et turba in circuitu adesset, clam eodem cane deferebantur astantium annuli aurei et argentei et ferrei, et ponebantur in pavimento, quos ille cooperiebat, et praecipiebat cani, et tollebat, et dabat unicuique suum. similiter et diversorum imperatorum nomismata mixta porrigebat per nomina. sed praesto turba astante, virorum scilicet et mulierum, interrogatus ostendebat in utero habentes et fornicarios et adulteros et avaros et magnanimos. ostendebat omnes cum veritate. unde dicebant quia spiritum habet Pythionis.

Anno imperii Iustiniani decimo octavo diffusum est mare per Thracen miliaris quattuor, et cooperuit eam circa partes Odysaei et Dionysopolis, et multi nerati sunt in aquis, et iterum dei praeepto restitutum est idem mare in loca sua.

Anno imperii Iustiniani decimo nono Petrus Hierosolymitanam et Domnus Antiochenam regit ecclesiam; et facta est inopia frumenti et vini ac pluvia multa, et factus est terrae motus Constantinopoli magnus, et eversio de sancto pascha, et coepit vulgus a carnibus abstinere mense Februario, die quarta: imperator autem praecipit alia hebdomada carnem apponi, et omnes carniarum venditores occiderunt, et apposuerunt, et nemo emebat aut edebat. porro pascha factum est ut imperator iussit, et inventus est populus ieiunans hebdomada superflua.

Anno imperii Iustiniani vicesimo capta est Roma a Gothicis, et papa Vigilius venit Constantinopolim, et susceptus ab imperatore cum ingenti honore repromittebat facere unitatem catholicae ecclesiae, et anathematizare tria capitula, quique excommunicationem quattuor mensium dedit Menae

\*) mansionarium] sic etiam vertit Nicaenae syn. 2 p. 703 ed. R. vide et can. 2 syn. Chalcedon. Zonaram ad concilia p. 607 a, 698 a et 720 b. et concil. spolit. sub Menae p. 737. FABR.